Quintū ēſt ꝙ ſicut oues ſimplices
eſſe debem⁹ oēm dolū nequicie cōtēp
nētes· Vn̄ petrus j·can·ij·xp̄s paſ
ſus eſt ꝑ nobis vobis relinquēs ex
emplū ut ſequami veſtigia eius qui
pcc̄m nō fecit nec īuētus ē dolus in
ore eius· Itē ad phil·ij·oīa facite ſīn
murmuracōe et ſitis ſimplices ſicut
filij dei· Sextū ꝙ debem⁹ eſſe lenes
et māſueti ſicut oues· Vnde pſa·lij·
dī de dn̄o· ſicut ouis ad occiſionē du
cet̄ et q̄ſi agn⁹ corā tondēte ſe obmu
tuit et nō apuit os ſuū· Itē iere·xi·
Ego q̄ſi agnus māſuetus qui portat̄
ad victimā· Septimū ē ꝙ ſicē ouis
vtile ē aīal· ita quilibet vtilis dꝫ eſſe
pximo ſuo· Ouis em̄ lanā exhibet
ad indumētū·et carnē et lac ad nu
trimentū· Sic igit̄ bonus xp̄ianus
paupibus ſe debet vtilē exhibere vt
videlicet nudos coopiat·eſurientes
cibet·ac potet ſitientes·ut ſi eciam ſi
neceſſe foret paratus eſſet corpus
ſuū in morte tradere ꝑ ſalute pximi
ſui· Octauum eſt ꝙ oues in feruore
meridiei coniunguntur· Ita et boni
xp̄iani in tribulacōnibus ſuis concor
des eſſe debent et cōpatientes ut qui
libet portet onus alterius· ¶ De ter
cio nota que ſint paſcua ouium xp̄i
ipſe dominus oſtendit in ezech·xxx
iiij· Inducam inquit oues meas in
terram ſuam et paſcam eas in mon
tibus iſrahel in riuis et in cunctis ſe
dibus terre· Terra ouiū xp̄i eſt ter
ra viuenciū ibi inuenient paſcua id
eſt gaudia vberrima in monte pr̄is
in monte filij in monte ſpiritus ſan
cti Paſcentur eciā in riuis potencie
qui fluit a monte patris·in riuo ſa
piencie qui fluit a monte filij· Pa
ſcuntur eciam a riuo caritatis ſue
beniuolencie qui fluit a monte ſp̄us
ſancti· Paſcentur eciam in cunctis
ſedibus illius terre hoc eſt in ſede cu
iuſlibet angeli et archangeli et in cū
ctis ſedibus virtutū poteſtatū pn̄ci
patuū dominacōnū threnorū cheru
bin et ſeraphin· Specialia gaudia
inuenient in ſede cuiuſlibet patriar
che prophete apoſtoli martiris con
feſſoris virginis vidue ac coniuga
ti·ſpiritualia gaudia recipient· Que
gaudia nobis preſtare dignetur q̄
cum deo patre et ſpiritu ſancto ꝛc̄·

¶ Dn̄ica tercia poſt paſcha· Sᵒ·xl·

Iterum videbo vos et gaudebit
cor veſtrū et gaudiū veſtrū nemo
tollet a vobis ¶ Tria occurrunt hic
conſideranda ¶ Primo qui ſint illi
quos iterum dominus eſt viſurus·
Secundo in quo tempore ſe eis ſit
oſtenſurus· Tercio qd̄ ſit gaudium
qd̄ nemo deinceps eſt ablaturus ¶
De primo nota ꝙ dominus conſola
biliter illos eſt viſurus qui modo
plorant flent et triſtantur· Vnde ip
ſe dicit in preſenti euangelio· Amen
amen dico vobis quia plorabitis et
flebitis vos et contriſtabimini· Plo
rare igitur debemus ꝓpter multorū
bonorū operū omiſſionē· Flere eciā
debemus ꝓpter multorū criminum
cōmiſſionem· Debemus eciam con
triſtari ꝓpē diuturnā nr̄e pegrinaci
onis ac exilij prolongacionem· Igi
tur cum dicat eccleſiaſtes iij·ꝙ ē te
pus flendi et tempus ridendi· Mo
do flere debem⁹ ut poſtea rideamus

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Primo itaqȝ plorare nos oportȝ ꝓpt
multoꝝ bonoꝝ opm omiſſionē. Et
nota q ſtultus eſſet mercator q ꝓpt
pigriciā ſuā et breue cōmodū corpis
ſui negligeret foꝝ triū ebdomodarū
quod eſſet a pte regis clamatū in q
poſſet lucrari bonū multoꝝ annorū
Et certe rex celi xpus ihs tēpus vi
te nrē inſtituit quaſi quaſdā nundi
nas in quibus laboribus nrīs et bo
nis opibus mercari debem9 eterna
bona. ſicut fecerunt quondā ſancti
martires qui in flore iuuentutis exi
ſtentes p regno dei acquirēdo corpa
ſua tradiderunt ad ſupplicia et qua
ſi prudentes negotiatores pellē corpo
ris corruptibilē p pelle quā reſumēt
glorioſam dederūt. Omnia eciā que
habuerūt p anima ſua dare nō du
bitauerūt. Vnde iob. ij. pellem p pel
le et omnia que habet homo dabit p
anima ſua. Et nota q ipſe dn̄s mer
ces ſuas glorioſas exhibet nobis ve
nales p vilibus mercibus nrīs Ita
eīn clamat teſte beato auguſtio. ve
nale hēo venale habeo. quid? regnū
celoꝝ. quo emit? paupertate et elemo
ſinis regnū. labore quies. ignominiā
gloria. morte vita eterna. Ipſe eciā
petit a nobis ut res noſtras quas
ab eo gratis accepimus iterū ei ad
vſurā centuplicē cōmodare velim9
ſed et hoc ipm pauci facere volūt qd
conquerit ierem. xv. Ve michi mater
mea quare genuiſti me virū rixe vi
rū diſcordie in vniuerſa terra. Non
feneraui nec fenerauit michi quiſquā
Oms maledicūt michi Virū rixe ſe
nominat quia multi p pcca ſua rix
antur cū eo et impugnāt eum. Viꝝ
eciā diſcordie ſe appellat quia pauci
concordant cū ſua voluntate. pauci
eciā fenerāt ei ut ſicut dicit gloſa in
paupibus cōfouendis eū ſibi faciāt
debitorē. Multi vero maledicūt ei vel
in ſeipo vel in membris ſuis. Multi
eīn blaſphemant dn̄m creaturas ſu
as vel opa vitupāndo vel eciā iura
mētis illicitis negocias ſuas .i. hoīs
hominibus detrahendo. Igit quicū
qȝ recognoſcit ſe bona opa omiſiſſe
et tēpus vite ſue inutiliter expendiſ
ſe. dignū eſt ut ꝓpter hoc ploret et
doleat ut aliquid de bonis neglectis
recupet p lacrimas et dolores. Se
cūdo flere debemus ꝓpter criminū cō
miſſionē Vnde et dn̄s fleuit ſup pec
cata noſtra ut doceret q nos ipi mul
to forcius ea deflere debeam9. Legit
eīn ſic in lu. xix. vt appinquauit ihe
ſus iheroſolimā vidit ciuitatē et fle
uit ſup illam dicens. q ſi cognouiſ-
ſes et tu. ſupplendū eſt fleres. Quili
bet igit flere debet ꝓpter pcca que cō
miſit. Et nota q ꝓpter quedā pcca
deus ſpecialiter exacerbat. per que
dā eciā corpus et anima ꝓpria ſordi
datur. p quedā eciā dilectio pximi
violatur. De primo itaqȝ nota q li
cet deus p omne pcm̄ offendatur tn̄
p quinqȝ ſpecialiter exacerbat. Pri
mo p vere fidei corruptionē. Fides ei
p hereticos et ſortiarias et phytoniſ
ſas et diuinatrices et incātatrices
corrūpit. Scdo p aſſiduā et falſam
iuracōnē. Multi nāqȝ abſqȝ vlla
ncītate ymmo ſe piorare ſcientes
iurant p crucē et vulnera ihū xpi et
multis alijs modis. Tercio de9 exac
bat p vindictaꝝ ab ipo poſtulacōnē.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Sicut multi in ip̄a hora qūādo cor
pus domini iħu xp̄i eleuat̄ petunt
ſe vindicari et imprecantur eis qui
eos offenderunt mortem eternam·
Quarto deus exacerbatur p̄ vidu
arum et pauperum oppreſſionem·
Dicitur em̄ in ps̄·q̄ deo derelictus
eſt paup̄·vnde qui tangit paupes
tangit pupillam oculi ſui·ſicut dicit
zach·ij·De ſc̄do nota q̄ p̄ pc̄ta gule
et luxurie corpus et nobilis anima
hominis inquinat̄·Fit em̄ homo p̄
gulā et luxuriā quaſi vile ſtabulū
et fetens cloaca·De tercio nota q̄ p̄
quedā pc̄ta dilectio ꝓximi violat̄·
videlicet p̄ furtū et rapinā·per frau
des et vſuras·p̄ detractiones et cō
uicia·p̄ hoīcidia et falſa teſtiōnia·p̄
iram et inuidiā·p̄ alia plura pc̄ta·
Qui igit̄ recognoſcit ſe p̄ pc̄ta cōmiſ
ſa deum exacerbaſſe ſeip̄m inquinaſ
ſe et ſc̄ām caritatē in ꝓximo violaſ
ſe cōueniens eſt eum flere·et ſup̄ hoc
deo dignam p̄niam exhibere·De ter
cio notādū q̄ contriſtari debem⁹ ꝓpt̄
diuturnam noſtre p̄egrinacōnis ac
exilij ꝓlongacōnē·vn̄ dicit ps̄ Heu
michi quia incolatus meus ꝓlonga
tus ē ꝛc̄·ꝓpter hoc eciā petrus j·ca·
ij·Obſecro vos tanq̄ aduenas a pe
regrinos abſtineatis vos a carnali
bus deſiderijs ꝛc̄·Et nota q̄ tripli
ces ſūt p̄egrini dn̄i·primi trāſeunt
de mūdo ad religionē et clauſtrū·ſe
cundi trāſmigrant cotidie de vicijs
ad virtutes et vadunt de virtute
in virtutem·tercij p̄ contēplacōnem
tranſeunt de regione corp̄m ad regi
onē ſpirituū·Primi rapiūt̄ in celū
aereū ut quaſi aues de bn̄ficijs ſuis
dn̄o gracias agant·Secundi feru̅
tur in celum ſidereum ut quaſi ſide
ra luceant in firmamento celi·Ter
cij cum paulo eciam rapiuntur in ce
lum empyreum ut cum ſanctis an
gelis dei faciem contēplentur·Con
triſtari vero oportet iſtos p̄egrinos
ꝓpt̄ diuīſam et hoīnū et demonū inquie
tationem·ſed triſticia eorum cōuer
tetur in gaudium·vnde p̄ma pe̅t·j·
Modicum nunc oportet vos contri
ſtari in varijs temptacionibus vt
probatio veſtre fidei multo precioſi
or ſit auro quod per ignem probat̄·
¶ Modo videndum eſt quando do
minus ſe plorantibus flentibus et
contriſtatis ſit oſtenſurus·Et eſt di
cendum q̄ hoc faciet tunc quando a
nima vniuſcuiuſq̄ʒ electi vel hic in
purgatorio ab omni ſorde peccato
rum ſufficienter emundata ab an
gelis ei fuerit preſentata·¶ Vlti
videndum eſt quale ſit illud gaudi
um quod electis ſuis null⁹ deinceps
eſt ablaturus·Et nota q̄ electi tri
plex habebunt gaudium de triplici
ſtola anime·Habebunt eciam qua
druplex gaudium de quadruplici cor
poris ſtola·De hijs ſeptem dicit yſa
ie li·Gaudium et leticia inuenietur
in ea ꝓpter omnimodam cognicio
nem et inſaciabilem dilectionē·gra
ciarū actio et vox laudis ꝓpter ple
niſſimā dei fruicionem·ſequitur Ve
nient in ſyon laudantes et leticia
ſempiterna ſuper capita eorum ꝓ
ter corporis claritatem·gaudium et
leticiam tenebunt ꝓpter corporis
ſubtilitatē et agilitatē·fugiet dolor
et gemitus ꝓpter beatā imortalitat̄·

xli

Rogate ergo dñm ut hec gaudia
nobis largiri dignet̃. Qui viuit ⁊c̃

¶ Dñica q̃rta post pasche. S°. xli.

Cum venerit paraclitus ille ar
guet mūdū de pc̃o de iusticia
et de iudic̃o. ¶ Duo hic occurrūt no
tanda. Primū est quis sit paraclit⁹
quē dñs missurū se p̄testatur. Se
cūdū est qualiter mundus de pc̃o de
iusticia et de iudic̃o arguēd⁹ intelli
gat̃. ¶ De primo no͞ ꝙ ꝑ paclitum
spūs scūs exp̄mit̃. Paraclit⁹ em̄ idē
ē q̄d aduocatus vel c͞oslator sicut te
stat̃ interlinearis glō sup locū illū io.
xiiij. Et ego rogabo prēm et aliū pa
clitū dabit vobis ut maneat vobiscū
ineternū spm̄ veritatis. Igit̃ circa hūc
paclitū tria sūt notāda. Ipe em̄ ad
vocatus ē reoꝝ. consolator mestoꝝ.
et redargutor obstinatorū. De pri
mo dicitur ad romanos viij. Spiri
tus adiuuat infirmitatē nostram.
nam quid oremus sicut oportet nesci
mus. sed ip̄e spūs postulat ꝓ nobis
gemitibus inenarrabilibus. Glosa
hunc locū sic exponit. Spūs sanct⁹
postulat ꝓ nobis quia nos postula
re facit nobisq3 interpellādi et gemē
di inspirat affectū. Tali ergo modo
spūs scūs dicit̃ eē aduocatus reorū
ꝙ ip̄is reis hoc īspirat ut ꝓ delictis
suis orent ⁊ gemitus effudēt inenar
rabiles. De scdo cantat̃ in quadā se
quēcia. veni scē spūs. et infra c͞osola
tor op̄tie dulcis hospes aīe dulce re
frigeriū. In labore requies in estu
temp̄ies in fletu solaciū. De tercio vi
delicet ꝙ ip̄e arguet incorrigibiles ⁊
obstinatos dr̄ in iohanne xvi. Cū ve
nerit paclitus ille arguet mundū de
pc̃o et de iusticia et de iudic̃o. Et no
ta ꝙ spiritus dn̄i non solum arguet
impios in iudicio et reꝓbos ymmo
et interficiet ip̄os. vnde ysa. xi. Per
cutiet terrā virga oris sui et spiritu
labioꝝ suoꝝ interficiet impiū. Vñ et
paul⁹ de antixp̄o dt ij. ad thessa. ij.
Tunc reuelabit̃ ille iniquus quem
dñs ihūs interficiet spiritu oris sui.
¶ De secundo videndū est qualiter
mūdus de pc̃o de iusticia ⁊ de iudic̃o
arguēdus intelligat̃. Et nota ꝙ glo
sule locū istū sic exponunt. Arguet
mundū de pc̃o infidelitatis q̄d vide
licet pc̃m mūdus habet et de iustici
a quā non imitat̃ et de iudic̃o q̄d nō
timet. Igit̃ hec est vna causa quare
dñs spm̄ sanctum paraclitū mittit
ut videlicet arguat mundum idest
mundi amatores arguendos osten
dat. de pc̃o quo dñm offenderūt. de
iusticia quā opari neglexerūt. de iu
dic̃o quod non timuerūt. Primū igit̃
paraclitus docet esse mundū arguē
dum de pc̃o quo dñm offenderūt. et
maxime de pc̃o infidelitatis. vñ et
ip̄e dñs ita exponit. De pc̃o quidem
quia non crediderūt in me. Et nota
ꝙ scd̄m sanctos aliud est credere de
um. aliud est credere deo. aliud crede
re in deum. Credere deum est credere
ipsū esse creatorē ⁊ principiū omni
um creaturaꝝ ⁊ iudicē esse viuorū
⁊ mortuoꝝ. hoc eciam demones cre
dūt ⁊ contremiscūt. vñ iaco. ij. Tu cre
dis qm̄ deus ē bn̄ facis ⁊ dēmones cre
dūt ⁊ contremiscūt. Credē deo ē crede
re vera esse que ipse dicit. Credere in
deum est cum caritate tendē in ip̄m